

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Zelotypia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

A tiones, cupiditatesque, quibus implicari eos, distrahi, rapi; necesse est. Angustius vero acus foramen, arctiorem arguit viam, quae ducit ad vitam, ut idem ait Adamantius. Denique Camelus ruminat quidem, sed solida est ungula, veluti plerique divitum cogitant quidem, agnoscuntque quid agendum, sed propter peccandi facilitatem occasionemque saepius oblatam, cum cruribus sint infirmioribus, iisque perplexis longe proclivius in libidines & reliqua vita dilabuntur. Nam, ut prima ad Timoth. epist. Paulus ait, *Radix est omnium malorum cupiditas, raroq; divitiae nisi cum iniustitia congeruntur: tali, inquit Eucherius, administratione res ista capitur, tali custode servatur, adeo quedam societas est pene etiam nominis duabus his rebus, vitiis & divitiae, unde olim nos ita lusimus:*

*De vitiis quod divitiae cumulentur apertum est,*

*Nomen idem vitiis divitiaeque datum.*

B Operæ pretium vero mihi videtur hoc loco, quod superius dissimulavimus, interpretationem Eu-cherii piam admodum subtexere dicti illius, *Liquantes calicem, Camelum autem deglutientes. Culex, Hattib. 23.* inquit ille: *suffurrando vulnera, Camelus autem fronte se ad suscipienda onera inclinat. Liquaverunt ergo Judæi culicem, cum una omnium fusculatione seditionis latronem dimitti petierunt. Camelum autem glutierunt, cum eum qui ad suscipienda nostræ mortalitatis onera sponte descendebat, ut extingueretur, clamando pervicerunt.*

### ZELOTYPIA. CAP. XXXVI.

Sunt qui per Camelum zelotypiam significant: propterea quod animalia reliqua tempore quo rei Venereæ cupidine, vel rabie potius incitata gestiunt, in suum tantum genus ferociunt, ac sævunt: Camelus autem in hominem etiam, atque in unum quodque aliud animal efferascit: & usque adeo sibi timet ab omnibus, ut solitudines petat, & id temporis ab omnium consortio disseparatus, solam fœminam affectetur.

### REVERENTIA IN MATRES. CAP. XXXVII.

Illud etiam tam ad eruditionem, quam ad bonos mores plurimum facit, quod nonnulli per Camelum reverentiam in matres significari tradunt: is enim nunquam matrem supervenit suam: C quinetiam si quis cogat, ipse non patitur. Jam cum aliquando admissarius non haberetur, curator pullum matri opertæ admisit, qui dum coiret delapo operimento agnovit matrem, & quamvis coitum absolverit, memor tamen commissi sceleris, paulo post ubi data est occasio, Camelarium mortuus defixio interemit, qua quidem pientissima modestia, cum sit camelis admodum familiaris, inde factum facile crediderim, quod olim nuptura Camelis virginibus supplicabant. Quæ vero de Cameli erga matrem reverentia diximus, ex Aristotele sumpta sunt, quæ Avicennæ etiam assensu confirmantur. Simile quoddam adversus matrem accidit Equo cuidam regis Scytharum, qui ut facinus expiaret, semetipsum precipitem ex editissimo loco dedit, atque ita animam efflavit. Ceterum non ita faciunt Equi omnes. Quin Aristoteles tunc perfectum esse argumentum dicit, cum parentes suam ineunt prolem: quod par crimen est cum eo, qui matrem tentat, ad quod Ovidiana Myrrha respexisse videtur, cum dixit,

*Fit Equo sua familia conjux.*

### TRACTABILITAS. CAP. XXXVIII.

D E st & illud inter hieroglyphica reponendum, quod per Camelum à puerulo rectum, mansuetudinem maxime tractabilem apte significarunt. Siquidem mansueti adeo sunt Cameli, atq; bilis tam expertes, ut vasta illa moles minimi cujuscum pueruli arbitrio gubernetur. Contra vero Equus, cum generoso sit animo ac præfeci, magna adversus Camelum afficitur antipathia, neque asperatum odoremve ejus ferre potest. Notum est, quod superius attigimus quid egerit Cyrus adversus validum Lydorum equitatum, cui suas copias impares suspicabatur: ingentem enim is Camelorum gregem ante pedites in acie prima statuit, factoque

*Cameli reverentia in matrem.*

*Idem supra lib. 4.*

*Ovid. 6.  
Materna.*



103